Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Exaudiuit d[...] deprecatione[m] mea[m], d[...] oratione[m] meam suscepit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

Visual Library

Exaudiuit dn̄s deprecationē meā, dn̄s orationē meam ſuſcepit.

Generaliter dixerat: Exauditam uocem fletus ſui, nūc in ſpecie definit, quæ quis fletus fuerit. Et obſerua, ꝙ & hic nomē domini iterat tribus uicibus, dominus exaudiuit, dn̄s exaudiuit, dn̄s ſuſcepit, ad ſignificandum affectum fiduciæ & confirmandam ſpem, contra aduerſarios quibus inſultat.

Eſt uero deprecatio in hebræo dictio quæ proprie ſignificat miſericordiæ, ſeu gratiæ implorationē, ut reſpōdeat uerbo ſuperiori: Miſerere mei dn̄e, & ſequentibus: ubi diximus implorari gratiam & uirtutem, Oratio uero in deprecando malo, ut reſpondeat illi: Domine ne in furore &c. Niſi quis dixerit affectus erigendi & firmandi cauſa hæc ingeminari.

Sunt aūt hæc uerba ſpei exercentis & exhortantis conſcientiam, ac iam præualeſcentis, ſicut præcedentia fuere uerba ſpei patientis, & laborantis ac pene occumbentis: In quibus uidemus nō doceri, ſed geri, ea quæ pſal. v. docta fuerunt in uerſu illo: Lætabunt omnes qui ſperant in te.

Ipſa enim uerba ſatis arguunt animi eius habitum & affectum, ꝙ uidelicet magno niſu ob oculos ſibi ponit diuinam miſericordiam, quam opponat peccati, mortis, & inferni turbulentis figuris. Cum enim in ſpe & ſpiritu eum loqui certum ſit, necdum coram deo, præſente uiſione poſitum, certum ſimul eſt ſpe ſaluum factum, ſpe dei gratiam conſecutum, ſpe ſe conſolatū, hæc uniuerſa ſonare quo abigat malorum illorum moleſtiſſimam turbā. Atqꝫ hoc eſt quod repetitionibus tot ſibi inculcat dei clementiam, uelut magnis & fortibus ictibus aduerſantia perſequens, & potentibus ſermonibus ſuam infirmitatem ad ſpem exhortans. Ita enim (hoc magiſtro) agendum eſt, triſtitia aut peccato uexante conſcientiam, non ſtertendum, non cedendum: Nec hoc expectandum, donec ſua ſponte recedat tribulatio, aut donec res ipſa cōſolationis præſenter appareat: hæc omnia perditionis ſunt negotia, ſed fortiter contendendum, ingeminandū, & omni ſtudio nitendum, quo bonam opinionē, de deo erga nos ſtabiliamus. ſicut pſalmo. xxx. fecit: Tu aūt domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meū. Et pſal. xxix. ubi ſimilem tribulationem queſtus, de deo ſibi firmat optimam opinionem dicēs: Quoniā ira in indignatione eius, & uita in uoluntate eius. Hoc eſt, deus noſter non uult mortem & infernum, ſed uitam & ſalutem. Sicut & pſal. xxxi. Tu es refugium meū a tribulatione, quæ circūdedit me. Deniqꝫ in omnibus pſalmis, ubi hæc, uel ſimilis paſſio deploratur, mox ſubiūgitur formatio ſpei & bonæ cogitationis de deo. Iuxta illud Sapiētiæ. j. Sentite de domino in bonitate. Niſi enim hæc cogitatio & fiducia conſcientiæ ſurgat, uincet tribulatio, & non erit qui eripiat. Multo autem labore formatur, non tamen niſi per uerbū dei & Iheſum Chriſtum. Sic & hic, cum utiqꝫ neſciret ſuū fletum eſſe exauditum, tamen plena cogitatione ſibi hanc opinionem concipit & firmat, repetens & contendens, ita ut & aduerſarios quoqꝫ inuadat, certus ꝙ ſicut de deo præſumitur, ita & habet. Qualis ſpes, talis res, uere enim & hic opinionibus homo regitur, ſed opinionibus dei (id eſt, de deo) ſiue bonis, ſiue malis.

Spem nobis dei miſericordia firmemus.

Spes difficile formatur.

Sicut de deo præſumitur, ita & habetur, hō opinionibus regitur

Erubeſcant & conturbentur uehementer omnes inimici mei, conuertantur & erubeſcant ualde uelociter.